

gratia. Sancta conversatio felicis^a alumni tui Conradi tibi reliquit exemplum, corporalis presentia reliquiarum praestat remedium et felicis animae cottidie impetrat patrocinium. Ad cuius tam venerabilis viri vitam describendam indignum et insufficientem me sciens nullatenus manum misissem, nisi me dilecti patris mei abbatis fervens affectus incitasset et ea, quam ad beatum Conradum teneor, devotio compulisset. Ut igitur vitae ipsius veritas certius mihi constaret et clarius, cum familiaribus eius adhuc in carne viventibus collationem habui diligentem, quibus propter probatam virtutem fides est indubitabilis adhibenda. A quibus, sicut audiui, virtutes illius, actus et verba quasi fragmenta quaedam in schedulis reperta, quamvis id plene non possem, in unam ordinatam materiam recollegi.

[Incipit vita beati Conradi de Herlsheim monachi ordinis Cisterciensis]

Cap. 1 [De parentibus et ortu eius]

Fuit in partibus Hassiae vir quidam in armis strenuus, militari schemate adornatus nomine Conradus. Hic gratia suscipiendae prolis in benedictione seminis Abrahae accepit coniugem de finibus Wedrebiae² exortam nomine Heddewigim³, virginem utique fide, forma, moribus et virtutibus egregiam. Cum hi itaque lege matrimonii in unione coniugali pariter convenissent, statim mulier quasi vitis fructifera egregio fetu gravida et pregnans efficitur. Nutu tamen dei omnipotentis mariti sui viduatur solatio, dum adhuc conceptum portaret in utero. Sicque iste infantulus^b a deo praedestinatus prius est pupillus sine^c patre, antequam nasceretur ex matre. Pater enim ipsius alveum Rheni fluminis navi transiturus fracta navi fuit in flumine suffocatus et inprovisa morte praeventus. Sed favente domino, in cuius manu mors et vita sunt positae, corpus eius sub aquis fuit inventum et in solemni domo Ebirbacensi⁴ ordinis Cisterciensis sepulturae traditum. De qua sepultura plenius suo loco

a) fe- *am Rand ausgerissen* W₁. b) -lus *am Rand ausgerissen* W₁. c) si- *am Rand ausgerissen* W₁.

2) Wetterau zwischen Vogelsberg und Taunus.

3) Um 1230 bezeichnet als Hadewigis mater cellerarii, vgl. *UB Haina 1* (wie S. 20 Anm. 20) Nr. 58 und Anhang VII S. 450.

4) Zisterzienserkloster Eberbach bei Eltville am Rhein.